

DEI & SUPERIORUM
PERMISSU
hanc
De
M A L O
M O R A L I
Dissertationem,
PRO LOCO

In Incluta Lipsiensium Facultate

Philosophicā
obtinendo

POSTERIOREM

In Majori Principum Collegio horis matutinis
ad XIV. Kal. Septembr.

P. P.

M. CHRISTOPH - HENRICUS MÜLLER.
Halberstad. Saxo.

LIPSIAE,
Exscriptit QVIRINUS Bausch/
ANNO M. DC. LIV.
26.

a. LXXX. 47.

II. diss. A
47

Inclita Facultatis Philosophice Lipsiensis

Spectabilis Domine Decane, Ve- nerandi Domini Seniores, cœteriq; Viri plurimùm Re- verendi, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Ex- cellentissimi, Clarissimi, Domini, Patroni, Promotores, Fautores omni observantie cultu suspiciendi.

Gallorum quorundam hunc olim morem fuisse accepimus, ut quod in hac vita peculium aliis utendum dabant, apud inferos reddi postularent: quod quidem quanto illi supersticiosius factitârunt, tanto nos religiosius abominamur. Atq; ideo longe alia mihi mens insedit animo: tantum quippe abest, ut Dissertationculam isthanc meam, quam Vobis veluti minutum debitæ observantie symbolum eā, quā par est, reverentiā dico, post hanc vitam mihi reddi petam, ut etiam in hac mortalitate à Vobis compensationem expectem. Nec enim Vos, Viri maximi, hanc meam poscendi audaciam ægre laturos spero, ut qui non nescitis, quod sicut is, qui cum conditi nihil coetive habeat, lautus tamē & unctus mensa ita accumbit, ut credat, simul atq; inclamarit, exquisitas si- bi epulas, quibus affatim vescatur, presto futuras, fame tandem moriatur necesse est; ita similiter nihil acquireret, qui non petit, juxta illud Poëtæ: Non tibi per ventos assa columba venit: aut illud divini Oraculi: pulsanti aperietur, & perenni dabitur. At desideratis forte intelligere, quid pro dissertatione ista, ingenio præsertim tam humili profecta, quæ reprobationem potius quam compensationem meretur, audaculus expetere ausim? Non leve profecto est, quod flagito. Expediam verbo. Benevolum Vestrum Affectum rogo & Amorem, qui mihi summi instar beneficij erit. Et quia de petitionis mee exauditione dubitare me non sinit Vesta, qua prædicti estis, Humanitas, postulat ipsa æquitas, ut debitas Vobis gratiæ reponam. Recipite igitur, Patroni & Fautores colendi, pro tanto beneficio liberalitatis laudem: pro benevolo affectu facile obsequium: pro remuneratione exprimtam in omnibus voluntatem. Valete & me benevolo, ut rogaui, affectu prosequimini. Dabam in Museo XVIII. Kal. Septembris. Epochæ nostræ. c. I. Iec LIV.

VV. Spectab. & Excellent. DD.



devotiss. colens

M. CHRIST. HENR. Müller.

A & Q.

THESES I.

Si isto Tibi, Lector Benivole, Malum quoddam., non quidem illud in genere, quod Bono absolute considerato contrarium est; nec Summum Malum, quod Summo Bono opponi ab Ethicis controvertitur, cum duabus in Disputationibus Clarissimus Dn. Sagittarius in Academ. Salana Professor Publ. hanc materiam non ita pridem satis super que discusserit: Sed Malum illud, quod in Doctrina Morali ab Aristot. in libris Nicomach. & Magnor. Moral. tractatur, à modernis que Ethics Doctoribus ad fugiendum nobis palam proponitur.

II. Acturis igitur de Malo Morali, ante omnia in vocis tum *Mali tum Moralis* originem inquirendum est. *Malum* Isidor. l. 10. deducit à μέλαν, quod nigrum significat (unde etiam melancoliam ortum suum traxisse cum Vet. Vocab. judicat Martinus in Lexico suo Philologico) ac si, qui Malus est, niger atque perversus quoque audiat. Alij derivant à Græco μαλός sive μαλερός, quod putridum, noxium, & exitiosum vertunt, quæ originatio se se quoq; quam planissime habet. Ut ut sive à μέλας sive à μαλός sive μαλερός nominis sui appellationem sumferit, mihi sufficiat, quod Malum idem sit ac non-bonum ejusque oppositum, quod Germani Wœß/ Wbel, sive Quædi exponunt.

III. *Morale* derivant à Mos Græcè ηθος, de quo vocabulo an solummodo ratione præditis, an verò etiam quandoque Brutis coveniat, mihi in præsentiarum nulla erit disceptatio. Hoc saltem assero, *Moris* vocem proprie de pertinentibus ad animum dici, licet interdum etiam ad ea, quæ ad corpus pertinent, extendatur. Mores Physicos, de quibus Philosophus in 6. Nicom. c. ult. hic quoque mitto, apprehendens solummodo illos, qui affuetudine sive ἡπτὶς θεραπείας, unde Ethics doctrina nomen traxit, comparantur. Unde & Malum *Morale*, quod κερνόμαρον illud est, de cuius natura

at essentia, si quæ est, præsentem instituimus discursum, illud, quod
in Genere Morum consistit, intellectum cupimus.

IV. Malum aliquod esse in rebus nulla indiget probatione: quid autem illud sit, hoc obseuritatem quandam implicare videntur. Et novimus ex Historia Ecclesiastica Manichæorum & Priscillianistarum circa hanc thesin errorem, peculiare principium rebus malis attribuentium, & hoc essentialiter malum, uti Deus rerum bonarum principium essentialiter bonum est, Deoque coæternum afferentium. Cum verò omnis res à Deo creata quæ talis omnino bona sit, malum è contrario vera res esse aut ponere aliquid nequeat, ideo capitosorum hominum istorum portentosum dogma in Ecclesia multis jam retro seculis heresies accusatum, styloque confixum est. Et sane falsissimam esse hanc illorum doctrinam, ut alia taceam, vel ex solo ejus opposito planum evadit. Nam quicquid suum verè esse habet, id est vel à seipso, ut Deus; vel à Deo factum ut Creatura: jam verò malum non est à seipso, alioquin esset Deus; neque creatura, quia omnis Creatura Dei bona est; ergo non habet suum esse reale. Ut hæc pluribus diducit Excell. Hornejus in Conclus. Metaph. de Bono n. 33. seqq.

V. Relinqvitur itaque, Malum esse non - Ens aliquod. Non Ens autem triplex est: vel Negativum, vel Privativum vel Rationis. Negativum est, cum simpliciter res esse negatur, sive quod omnino nihil est. Privativum, cum quid id non esse dicatur, quod tamen esse poterat aut debebat: nam inter verum Ens & non-Ens simpliciter datur medium sive tertium, quod Non-Ens secundum quid sive privativū appellatur, per quod verū Ens privativū esse dicitur. Ens rationis est, cum quid ab intellectu nostro concipitur, quod tamen non verè existit. Ex hisce tribus Malū non est Non-Ens Negativum, alioquin aut non reperiretur in rerum natura, cuius contrarium tamen supra demonstravimus; aut omnes Creaturæ essent malæ, cum de ijs multa negentur bona, quæ vel Dei sunt vel rerum aliarum: neque est non-Ens rationis, quia ab intellectu nostro non fictū est; sed est non-Ens privativum, quod verè in rebus existit, sūo modo ijs inhæret ac eas denominat. Res simili clarior fit: si quis enim tibias fractas inflat, diffonus editur stridor, quæ κακοφωνία ἐν φωνίᾳ & integratis in tibijs est absentia; si anima claudum pedem

pedem movet, incessus deformitas est à privatione restituendis,
quæ in pede esse debebat aut poterat. Hujus sententia probatio-
nem & refutationem contrariæ vide apud Timplerum 2. Metaph.
cap. 9. qv. 17.

VI. Atq; hanc doctrinam, profligat Manichæorum nefanda
opinione communiter tradidisse & Patres, & Scholasticos, & Phi-
losophos Christianos, testantur Lojolitæ Suarez disp. II. scđ. I. n. 3. &
Gabr. Vasquez in l. 2. disp. 95. c. 9. seqq. Qvod idem dicendum erit
de Malo Morali, existere nimirum illud in rerum natura, non ta-
men ut Ens verè positivum & reale; sed ut non-Ens privativum,
qvod actionem hominis bonam bonitate sua in genere morum
exuat malamq; reddat.

VII. Originem hujus Mali qvod concernit, in ejus Causas
quam maxime inquirendum est: dissentunt autem inter se Philo-
sophi, An & quomodo detur causa efficiens, materialis, formalis &
finalis Mali Moralis. Causam habere de eo nullum est dubium,
cum alias à seipso & consequenter ab æterno, ut Deus, esset; quæ-
nam autem illæ sint, de eo disceptatur. Formalis nulla
reperitur in nostro Malo, qvia ipsa privatio est tanquam forma-
sui subjecti, cui inest; ergo hic præscinditur. Materialis cau-
sa hic est subjectum, non ex quo, alias Ens, & itaque Bonum
quid esset futurum; sed in quo: nam nulla privatio esse potest, nisi
in aliquo subjecto; subjectum autem est bonum quid, qvia una
privatio in altera non esse potest, sed in re positiva existere neces-
sum est: atq; cum Malum Morale sit privatio, ut saepius demon-
stratum, in subjecto reperietur ejus materialis causa.

IX. Circa Causam Efficientem varia variorum est senten-
tia. Sunt enim qui statuunt Mali Moralis causas non efficientes sed
potius deficientes esse, uti Piccolom. in Philos. Mor. grad 9. c. 51. Ma-
li sive vitii, inquit, causa non est vere efficiens, sed deficiens, qvia
Malum patrat per impotentiam & depravationem. & Keckerm. I.
I. Log. c. 15. Causa Efficiens κύριως dicta non efficit, nisi in se bo-
num quid. Quam in sententiam Patronum adducit Augustinum
I. 12. de Civit. Dei c. 7. qui similiter potius deficientem, quam effici-
entem causam asserit. Wendelinus in Philos. Moral. dicit omne
Vitium sive Malum Morale esse ab aliqua causa per se tanquam
principio externo: nam, inquit, quicquid extra Deum est, id est à cau-

sa aliqua per se, eaq; vel prima vel secunda ; quia nec materia nec forma, nec finis tanquam principia externa possunt ingredi hanc causatatem. Si igitur ab aliqua causa per se , erit ab efficiente causa.

IX. Nos econtra statuimus , Malum hoc semper habere quidē Causam Efficientem non tamen per se & directā, sed per Accidens & indirectam. Hoc autem fit cum agens non plene agit, sed deficit : nam libertas in moralibus non agit semper qvām perfectè potest, idq; interdum propter vitium cause, interdum sine illo & propter solam libertatem cum mutabilitate conjunctam. Quando igitur hoc accidit, oritur Malum à Causa secunda, non per se & directe, sed indirecte & per accidens.

X. Cum autem queritur : An Deus tanquam prima Causa sit Efficiens Mali Moralis ? dicendum, Mali in genere considerati & Apparentis quidem, si res bona, quin Deus sit causa, nullum esse dubium ; deinde distingvendum est inter malum naturale sive pœnæ, & inter morale sive culpæ. Causam Culpæ sive Moralis mali Deo attribuere, impium esset atq; blasphemum, cum S. Psaltes odes. canat : *non Deus volens iniqvitatem, tu es.* Deum igitur nec in concreto nec in abstracto authorem Mali Moralis fingere licet. Malum autem naturale sive Pœnæ quod concernit, dicimus, quatenus oritur ex vi positiva cause proximæ, tam mediatè, quatenus Causas illas fecit & vim ijs agendi tribuit ; quam immediatè, quatenus ad ipsos actus concurrit tanquam opera justitiae divinæ, fieri à Deo. Nam non tantum per causas secundas, sed & per seipsum ejusmodi mala fieri velle, testatur Propheta Amos c. 3. *Non est Malum in Civitate, quod non fecerit Dominus.*

XI. Assertâ causa efficiente, asseramus necesse est & causam Finalem Moralis Mali : efficiens enim nihil frustra agit, sed quicquid agit, agit sine mota. Contrariatur quidem hac in re nobis Scaliger Exercit. 205. sect. 1. reprehendens Ciceronem, quod malis finem assignarit, dummodo de Bonorum & Malorum Finibus scripsérat. Novimus autem quod actus nonnulli moraliter mali periculosi & difficiles sint, quiaq; non exercerentur, nisi sub spe & intentione alicujus finis & commodi, quod defuribus & adulteris notum est, qui ad obtinendam voluntatem suam nullis periculis & laboribus detinentur. Propterea diciunus, Mala Moralia non habere

habere finem certum per se, uti nec causam efficientem, sed tan-
tū per Accidens, vel ex judicij depravatione & perversa intentione
agentis; ut si fur alteri pecuniam auferat hunc in finem, ut suis re-
bus eō melius consulat: vel ex directione alterius causæ; ut si Deus
nostra peccata ad utilissimum dirigat finem, exemplo Iudiciorum
Salvatorem Mundi occidentium.

XII. Antequam ad Definitionem nostri Mali progrediamur,
discipiendum prius erit, quomodo illud Bono Morali, num con-
trariè, num positivè aut privativè, opponatur, de quo magna lis est
& controversia. Controvertunt autem Philosophi potissimum
non de Malitia peccati Omissionis, quam in privatione sive omissi-
one ipsius actus lege præcepti cōsistere constans omnium concin-
nè censentientium opinio est; sed de Malitia actus Moralis &
Malo Commissionis, circa quam difficultatem alij aliter sentiunt.

XIII. Quidam statuunt duplēm esse in actu peccati Malitiā Moralem: unam Privativam, alteram Positivam realem, in
ipso actu pravo existentem. Quæ sententia rursus diversimode
explicatur. Cajetanus n. qvæst. 18. a. 5. & qv. 71. a. 6. in Thom. I. 2. qv. 18.
a. 1. & 2. Malitiā, quam Privativam esse dicit; appellat malitiā
simpliciter talem & aversionem: alteram vero, puta Positivam, vo-
cat conversionem, & dicit esse aliquid positivum reale absolutum;
additq; hanc malitiā esse priorem, imò fundamentum illius ma-
litiae, adeoq; potiorem in peccatis, uti videre est in qvæst. 72. a. 1. loc.
cit. Alij non contenti cum Cajetano, addunt, Malitiā illam Mo-
ralem Positivam esse insuper intrinsecum quid & essentiale actui,
per modum cuiusdam respectus transcendentalis intimè penetran-
tis totam entitatem actus peccaminosi, secundum quam actus in-
telligitur positive, realiter & intrinsece difformis rectæ rationi aut
objecto honesto: in qua sententia etiam est Thomas Rhædus Bri-
tannus in Pervigilijs suis Metaphysicis, Pervigilio Jovis num. 51.
seqq.

XIV. Alij sentiunt, Malitiā Moralem quidem formaliter
aliquid Positivum esse; at non reale, sed morale sive rationis, adeoq;
relationem rationis asserunt, è quorum censu est Vasquez disp. 95. c.
9. Et, ne hoc etiam ad peccatum Omissionis extendatur, addunt,
hanc non esse formalem rationem omnis peccati, sed solum Com-
missionis:

XV. Ple-

XV. Pieriq; tamen docent, Malitiam Moralem, non secus
ac naturalem formaliter esse privationem alicujus perfectionis: in
perfectionis autem objecto sunt discordes. Quidam enim ajunt
esse privationem perfectionis debitæ inesse actui, qvem iccirco qv.
subjectum illius privationis & materiale peccati constituant: qui-
dam verò dicunt esse privationem reætitudinis debitæ inesse vo-
luntati sive potentiaz, non actui, nisi actus malus sit respectu cir-
cumstantiarum, loci, aut temporis.

XVI. Pro stabilienda hâc suâ opinione Assertores illi sic ratioci-
natur. Virtus & Vitium, Bonum & Malum, juxta communem
in Logicis terminorum acceptiōnem, tanq; Exempla sibi invi-
cēm contrariè opponuntur. Porrò, unus habitus alteri nullo mo-
do privative opponi potest, qvia nullus habitus est privatio: jam
verò Malum Morale est habitus, qvi virtuti sive Bono Morali tan-
q; habitui non nisi contrariè opponi possit. Et huic illorum
sententiæ suffragari videtur Philosophus in Ante-Prædic.c. de Op-
pos.&c. i. Ethic. cap. 8. quando Bonum Malo contrariari affirmat; &
Augustinus in Enchirid.c. 14. in Bono & Malo, ait, deficere Regulam
Dialecticam: qvod Contraria eidem inesse non possint; qvia eadem
res esse potest bona & mala. (2.) Actus e.g. prodigalitatis, odij erga
DEum, blasphemiaz &c. non tam consistit in averione ab objecto
ordinato, qvā in conversione ad inordinatum, & plane est contra-
rius rectæ rationi & legi, sicut & cœteri actus vitiosi. (3.) Vitia à se in-
vicem distinguntur specifice, non ratione privationis, alias avari-
tia & prodigalitas unum essent & idem, cum utrumq; careat perfe-
ctione, sc. liberalitate, ergo ratione alicujus positivi. Juxta qvod
verò qvid specie distingvitur, id est ejus formale.

XVII. Qvantam verò incommoditatem dicam an impie-
tatem? isthæc pariat opinio, vel hujus Universi Creationem inspi-
cienti proclive est. Omnis enim res à Deo creata in se & sua na-
tura, juxta Moysis Genes̄ c. 1. effatum, est valde bona; si verò Ma-
lum ut positivum qvid à Deo qvoq; creatum defenditur, tunc &
huic divino, qvi instinctu Spiritus S. loquutus est, viro contradici-
tur, & Deus autor aut saltem causa peccati palam proclamatur.

XIX. Ad resolvendam igitur hanc difficultatem suppo-
nendum est, Malitiam Moralem aliam esse *Absolutam*, aliam re-
spectivam;

specifivam; & hanc considerari posse, vel ut formaliter moralis est, vel ut solummodo objective moralis est. Quo posito dicimus, Malitiam actus humani Moralem absolutam & quasi fundamentalem esse Privationem alicujus debitæ perfectionis. Nam hoc est rationi consentaneum, quod Malum Morale habeat eandem Proportionalem rationem, quam habet Malum Physicum: Malum Physicum autem consistit formaliter in privatione alicujus boni, ut in proposito est, cur non etiam hoc? Et hoc confirmat id, quod positâ privatione statim actus moraliter malus dicitur; non vero positâ, minimè malus estimetur, propterea Malum Morale formaliter in Privatione consistere necessum est. Confirmat hoc ipse Thomas i. p. qu. 5. q. 3. ad 2. nullum Ens dici Malum, in quantum est Ens, sed in quantum caret quodam esse; sicut homo, inquit, dicitur malus, in quantum careat esse virtutis. Bellarminus l. 2. de Pec-
cat. c. 5. q. 18. Et Gregor. de Valentia disp. 2. qu. 13. punct. 3.

XIX. Deinde dicimus Malitiam actus Respectivam consistere in ratione quadam Morali Positiva disconvenientia, tum quia Malitia Respectiva opponitur Bonitati Respectivæ; (quæ est ratio convenientiæ tum in ordine ad naturam rationalem vel dictamen rectæ rationis; tum in ordine etiam ad legem aliquam extrinsecam seu voluntatem divinam præcipientem vel consulentem) si enim Bonitas Respectiva in quadam ratione convenientiæ consistit, necesse est, ut Malitia Respectiva opposita consistat in quadam ratione disconvenientiæ: tum quia ratio disconvenientiæ malum aliquod respectu termini, quem respicit, esse nequit. Varietatem autem quam respectiva hæc malitia disconvenientiæ habet, vide in Tanneri disp. 2. de Actibus humanis qu. 5. dub. 2. & Vaszquez in l. 2. Thomæ disp. 95. c. 9. num. 42.

XX. Manet igitur hæc differentia: Malum Morale in se & Absolutum esse purum Privativum; Malum autem Respectivum, quod alteri malum est, si consideratur, intervenit quadam Entitas Positiva, quæ quatenus privationi substans mala dicitur. Sic ipse actus & habitus positivus intemperantiae & coeterorum vitiorum, verè malus est homini, non tamen prout positivus est; sed prout illud positivum naturæ rationali est disconveniens. Et hac ratione Malum distingvi potest in Privativum & Positivum, non quod

B

ulla

tilla res positiva, qva talis, mala sit; sed qvod positivum privationi
substans puræ privationi opponatur. Sic aversio à Deo opponi-
tur conversioni ad Creaturas. Hornejus Conclus. Metaph. disput. 8.
num. 48.

XXI. Certi de hisce dicimus *Malum Morale* esse actum ho-
minis liberum disconvenientem cum recta ratione & lege.

XXII. Generis loco posuimus actum humanum, ideo qvod
hic actus in neminem nisi ratione præditos cadere potest; & qui-
dem liberum, qvia Moralitatis, si ita loqui licet, formale in nulla
alia re nisi libertate consistit, adeo, ut actus peccaminosus aut mo-
raliter malus dici nullus possit, qvi libertate careat. Nam non
qælibet privatio perfectionis facit Malitiam pravi actus Absolu-
tam, sed privatio perfectionis debitæ actui: si verò actus non est
liber, non potest illi deberi perfectio, qva caret; siqvidem eo ipso,
qvo actus non est liber, non cadit sub regulam seu legem aut debi-
tum: illud enim regulari non potest, qvod non est in nostra pote-
state. Similiter Malitia Respectiva, qvæ in difformitate cum lege
naturæ & recta ratione consistit, non potest vocari malitia, nisi
actus, juxta qvem æstimatur, liber sit: nihil enim qvod liberum
non est, subjacet regulæ morali. Hinc si stultus scortetur, aut
hominem occidat, hoc factum non habet formaliter rationem
mali moralis; in se qvidem & sua natura, seclusa etiam libertate
est qviddam vitiosum, deforme, uti reliqui omnes motus concu-
piscentiæ sunt mala, at non formaliter moralia, uti hoc pluribus
diduxit Bellarminus l. 5. de Peccatis, c. 10. & 13. & Augustin. l. 1. cont.
duas Epistolas Pelagianorum, c. 13. & l. 5. cont. Julianum c. 3. Stat igitur
fixum hoc axioma: *nullum Morale Malum sine libertate forma-
liter consistere.*

XXIII. Differentiam specificam hujus Mali explet Dis-
convenientia cum recta ratione & lege: qvemadmodum enim
bonitas moralis in convenientia rectitudinis inesse debitæ: sic et-
iam malitia moralis in ejus contrario consistit. Hi autem actus
in universum omnes, qvi mali dicuntur, defumunt malitiam suam
(sicuti qvoqve in disp. de Bono Morali antehac à me dictum fuit)
ex objecto, fine & circumstantiis. Unde Aristoteles l. 3. Ethic. c. 7.
f. 94. rectè dicit: *Peccata committuntur alia, quod id agitur, quod*
non

non oportet, alia quod non ut oportet, alia quod non quo tempore oportet, aut aliquid hujusmodi. Cum autem objectum maximè specificet actiones humanas, malitia, quam actio ex Objecto malo sumit, primaria est, quia uti in rebus naturalibus forma speciem rei dat, ita in moralibus formam dat objectum.

XXIV. In proposito autem Objecti nomine non quidlibet, quocunque etiam modo quis quidpiam voluerit, intelligitur, alioquin etiam circumstantiae & finis extrinsecus objecti rationem obtinerent; sed tantum primarium objectum actus. Ethoc objectum non consideratur secundum se & materialiter; sed formaliter & secundum proportionem ad hanc vel illam actionem, ita ut Objectum sit & dicatur Malum respectu alicujus actus, quod debitam cum eo proportionem non habeat. Hac ratione una & eadem res respectu diversorum actuum potest esse objectum bonum & malum. Sic Deus est objectum bonum, respectu amoris; respectu odii vero malum. Multiplicantur autem hi actus mali-
tiosi propter ordinem ad plura objecta vel personas numero di-
stinctas, quod pluribus exposuit *Johannes de Lugo in disputationi-
bus Scholasticis & Moralibus de Virtute & Sacramento Pænitentie*
disp. 16. sect. 3. num. 132.

XXV. Deinde non tantum ex Objecto sumit suam Mali-
tiam actus humanus, licet principalem; sed aliquam secundariam
& minus principalem desumit quoque ex Fine & Circumstantiis. Per Finem autem hoc loco non intelligitur ipse Finis Intrinsecus cuiusque actus; sed Finis operantis Extrinsecus, ut dare pauperibus eleemosynam inanis gloriæ causa. Et licet hic ipse Finis ad Cir-
cumstantias spectet, quo etiam sapissimè refertur; nihilominus tam ab Ethicis semper specialis ejusdem fit mentio, quia non
tantum Circumstantiaz; sed etiam causæ rationem habet. Sic si
templum freqentes, non ut Deum colas, sed ut ab hominibus sal-
tem pius & verus Christianus habearis; hic Finis, qui in se malus
est, nullam Circumstantiaz rationem habere poterit, sed causalita-
tem quandam importat.

XXVI. Circumstantiaz denique non parvum actionibus
humanis afferunt momentum: nam quod sapientius bonum judicari
posset ratione Objecti & Finis; hoc malum nonnunquam est ra-
tione

tione Circumstantiarum. Sie si texcor manibus opus quoddam, texit, bonum est ratione objecti & finis, ast si tempore & loco minus oportunis, nimur in templo & quidem die Dominico hoc faciat, pessimum judicatur propter Circumstantias.

XXVII. Discrepant autem nonnihil Authores in ejusmodi Circumstantiis seu Accidentibus humanorum actuum, eorumque numero & ratione explicandis. Communiter autem numerandi ratio ea est, quam Cicero in Rhetoricis recenset & hoc versicula comprehendit:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.
Ubi vocula *Quis* denotat conditionem personæ operantis; *Quid* quantitatem seu conditionem accidentalem Objecti quod seu circa quod, ut Aristot. notat 3. Ethic. c. i. *Quibus auxiliis* denotat media ac mediatores actionis; *Cur* finem extrinsecum; *Quomodo*, modum actionis. *Quando*, tempus. Plura de circumstantiis hic ideo non adducimus, quia brevitate studendum. Propterea quaque & eos, qui scire desiderant, utrum & unde actio humana mala sit in sua specie, seu ex suo genere, amandamus ad Tanneri Theol. Scholast. disp. 2. de actibus humanis, qu. 5. dub. 5. ubi a. 5. 6. 7. 10. & 11. qu. 18. p. 1. 2. Thomæ satis declaravit.

XXVIII. Pergimus ad divisionem Malii Moralis, quod multipliciter accipi deprehendimus. Est enim (1.) Malum vel *Absolute malum, vel respective.* *Absolute Malum*, quod in se est malum nullo habitu respectu ad aliud, ut omnis generis vitia; *respective*, quod in hoc vel illo deprehenditur. (2.) Malum vel *absolute malum* dicitur vel *comparate*, ut sunt ludi in loco sacro. (3.) *Quædam mala Moralia* sunt *per se*, quæ suâ naturâ sunt mala, ut peccatum; *quædam per Accidens*, quæ per se & natura suâ quidem bona erant futura, sed in abusum tracta, & minus justo tempore aut objectis destinatis adhibita, quales sunt omnis generis ludi, plagæ & cæsiones, tandem cœperunt esse noxia. (4.) Malum vel est *formaliter* seu *in abstracto Malum*, ut defectus actionis; vel *materialiter & in concreto*, ut actio defectu laborans, quando scil. peccatum definitur actio divinæ legi repugnans. (5.) Malum morale vel est *turpe*, vel *noxiūm*, vel *molestem*; *Turpe*, quod legi divinæ, rectæ rationi, & ei quod honestum, contrariatur, ut omnis generis vitia;

vitia; *Noxium*, qvod officit ei, cui malum est, ut stuprum; *infusare*
seu *moleustum*, qvod menti & sensibus dolorificum, ut semetipsum
occidere. (6.) Mala moralia vel *interna* sunt & *animi*, ut ira, o-
dium; vel *externa* & *corporis*, ut maledica lingva, manus nocen-
tes. (7.) Malum morale vel est *spontaneum*, seu *involuntarium*,
vel *accersum* aut *voluntarium*. Illud *automatwç* citra nostram
voluntatem nobis obvenit; ut si qvis ex nullo determinato & præ-
concepto consilio peccet; ut si qvis ex improviso hominem occi-
dat: Hoc verò qvilibet ex deliberata opera & studio perpetrat,
qvalia sunt, furtum, adulterium. (8.) Tandem Malum morale
est vel *Commissionis*, vel *omissionis*; hoc *Gregor. Magnus in Ezech. ho-*
mil. 21. & August. qvæst. 20. in Levit. vocat delictum; illud verò pec-
catum. Fortasse, inquit Augustin. peccatum est perpetratio Mali,
delictum autem desertio boni.

XXIX. Anteqvam colophonem nostro discursui impona-
mus, institui poterit qvæstio, cum jam modo Mali Commissionis &
Omissionis meminerimus, annōn inter hæcce duo Mala detur ter-
tium, à Commissionis & Omissionis pariter Malo diversum? Fue-
runt, qvi id ajebant, moti hac ratione, qvod conatus sit aliud qvid
ac actus voluntatis, qvia conatus est prior actu voluntatis elicitus
& sic distinctus ab illo. Sed *Wendelinus in Philos. Morali l.1. de recta*
vita c. 3. §. 35. afferendo omnem conatum esse actionem volunta-
tis; actionem autem voluntatis legi contrariam esse peccatum
commissionis; intermissionem vero actionis legi contrariam esse
peccatum Omissionis, scrupulum mihi omnem ademit, cum quo
tertium non dari prorsus existimo.

XXX. Et hæc de Malo morali dicta sufficiant, qvibus si sco-
pum ferii, est, mihi qvod gratuler: sin minus (qvod ob exititatis in-
geniosi mei conscientiam non repugno) solabitur me primo vul-
gatum illud Poëtz non vulgaris:

Est aliquid prodire tenuis, si non datur ultra:
Deinde Tua, Lector Benivole, Dexteritas, qvā errata non invidio-
sa facere, notāq; de meliori commendare non gravaberis.

T A N T U M.

Ἐπίμετρον.

Dantur Actus moraliter mali, qui tamen natura
sua est per se tales non sunt.

Dantur Actus in Voluntate moraliter mali absque
precedente errore in intellectu.

Dantur peccata quædam, in quibus nullus est actus.

Φεόνημα τῆς σαρκὸς minus rectè exponitur de Phi-
losophia.

Propositiones infinitæ Logicis non sunt admendæ.

Ex singularibus etiam sequitur vera conclusio.

Peccatum Originis ad primam & secundam Quali-
tatis speciem referri poterit.

Præscientia Dei eventibus futuris nullam imponit
necessitatem.

Status animæ humanæ post mortem ante supremum
judicium extracorpus constitutæ imperfectis
orest, atq; fuit incorpore,

In natura datur generatio & corruptio Elementorum
sive eorum transmutatio.

Quod ex putrescente materia non mixtum aut plan-
ta sed animalioriatur, hoc fit ex materia & dis-
positione.

Piscibus memoria non est deneganda.

Quod aqua interdum extra suum planum sursum
tendat hoc fit ex siccitatis attractione.

Terram à Deo in principio creationis cum montibus
statim

statim esse creatam contra Cardanum cum
Scaligero asserimus.

Datur distantia duorum in orbe terræ locorum bre-
vior quam Geographica brevisima.

Terra naturaliter universale Solis Eclipsin nunquam
sensit; Luna vero & circum Joviales quam
maxime.

Sol præterito secundo Augusti lumine non defecit; Lu-
na vero 17. ejusdem mensis omnino.

Sole eodem momento Ellipticus & Orbicularis cerni-
tur.

Solutrumq; terræ hemisphærium non solum radiis re-
fractis, sed etiam non refractis illustrat.

Omnem mendacium qui illicitum dixerit, contrariatur
Scripturæ, Patribus & doctrinæ morali.

Codicilli sunt species Testamenti.

F I N I S,



Coll. diss. A. 8D, misc. 47